

1547

quæ ea tempestate summo in honore habebatur , adscripsit , ut homine vivido ingenio , quietis impatiens , qui magnam Florentinorum exulum , atque aliorum bello vicitantium hominum manum secum trahebat , ad Italiæ res perturbandas aptissimo , si opus foret , uteretur . Pontificis vero assiduis adhortationibus , ac stimulis incitatus , ad suas partes Venetos pertrahere , atque societatis jure adstringere , Caroleo Protonotario Venetas missis , omni studio contendebat . Qui cum Monlucio ordinario legato Patribus exposuit , Henrico Regi quotidie pro bono publico excubanti nihil opportunius , atque his temporibus necessarium magis videri , quam , foedere cum , Pontifice , ac Republica sancito , ad communium rerum tuitiōnem consiprare ; ut justo præsidio quisque munitus tuto præsenti quiete frueretur ; neque aliorum pateret injuriæ : id ut facilius Henricus consequeretur , nihil eorum , quæ ad Galliæ regni tutelam attinerent , prætermittere . Legatis Senatusconsulto responsum est : Regis prudentiam , atque in commune bonum propensum studium vehementer Senatum probare : egregiis illius exemplis adductum , quæcunque ad Venetum imperium defendendum opportuna censerentur , diligenter curare : idem reliquos Italiæ Principes facturos arbitrari ; cum insitum cunctis natura sit , ut se , resque suas summa contentione tueantur : sperare animorum conjunctionem , ad quam , si rebus suis prospectum vellent , cogerentur , pro firmissimo aggere , ac munimento adversus eos , qui armis laceſſerent , futurum ; idque unum modo sufficere . Eiusmodi erant ea tempestate illorum , qui Rempublicam regebant , consilia , ut bellorum tumultus ab Italia , quoad fieri posset , amovendos , neque vanæ spei ostentatione præsentem rerum statum immutandum arbitrarentur .

Sed reliquorum Principum dissidentibus inter se animis , ac nova quotidie mente agitantibus , recens dissensionum seges oritur , Petro Aloysio , Pauli Pontificis filio , a nonnullis Placentiæ civibus in illius exitium conjuratis , propriis in ædibus confosso , & cæſo , qui cruentum illius cadaver plebi ostentantes , universa civitate commota , objecto nomine libertatis , incenderant ; idque non sine Ferdinandi Gonzagæ consensu perpetratum fama vulgaverat , qui a Placentinis vocatus , urbem

*Caroleus
Protonotar-
ius ab H̄e-
rico Veno-
tias mitti-
tur.*

*Senatus re-
sponsum.*

*Petri Aloy-
ſi Farnesi
cædes.*

*Ferdinādus
Gonzaga
Placentiæ
præſidium
Cæſareum
imponit , &
Parman
aggreditur.*